

sis, vel pro labore, profectò eos non debet computare. *c. 1. de Usur. c. 7. de Jur. jur. l. 8. l. 25. de Pignor. actio. 3. Maritus*, cui pro dote sunt aliquæ possessiones obligatæ, earum fructus percipit, nec in dotem nondum sibi traditam computat, cum frequenter ad onera matrimonii sustinenda fructus dotis non sufficiant. *c. 16. de Usur. 4. Clericus*, cui suum beneficium est obligatum à Laico, illud injustè possidente, percipit fructus, & non computat. *c. 1. de Usur.* quia per occultam compensationem redimit, quod ad ipsum legitime spectat.

201 *Pactum Legis Comissorie*, quando scilicet, inter creditorem, & debitorem convenit, ut si intra tempus statutum debitor non solvat, pignus committatur, & dominium adquiratur creditori, si pignori adjiciatur, etiam ex intervallo, ut contra *Barb. & Abb. tenent. Covar. lib. 5. Var. cap. 2. n. 8. & alii.* Saltem Jure Positivo est irritum ipso jure, nec ex eo aliqua resultat obligatio. *c. 7. h. t. l. fin. C. de Pañ. pignor. l. 12. tit. 13. p. 5.* Nec juramento firmatur, nam licet juramentum sit servandum, cum servari possit, sine dispendio salutis æternæ, nullum tamen jus tribuit creditori; *arg. c. 1. c. 6. de Jur. Jur.* Imò, si debitor justè impeditus non solvat tempore statuto, potest etiam juramento non relaxato, postea oblato pretio debiti pignus redimere: cum juramentum non creditur factum in casum inculpabilis moræ. *c. 7. h. t.* Nec hujusmodi pactum valet, si debitor renuntiet Legi tale pactum prohibenti, quia hæc Lex non tam est introducta in favorem debitorum, quam in pœnam creditorum, & publicæ utilitatis causa, ut tollatur usuræ periculum, cum plerumque pignora quantitatem creditæ pecuniæ suo valore multum excedant, & ut ita feneratorum coarceatur avaritia: cum debitores facillè in talia pacta consentiant fiducia faciendi in tempore solutionem. Aliud est in venditione, in qua tale pactum admittitur: cum enim res justo pretio soleant vendi, non paritur emptor damnus, aut injuriam, si pretio non numerato ad tempus prefixum solutioni, res habeatur pro inempta. Hinc valere pactum ajunt, ut si debitum non sit solutum intra tempus, pignus sit emptum, aut datum in solutum creditori justo pretio, seu arbitrio boni viri, vel Judicis taxando. Imò si paciscentes solum dicant, quod pignus sit venditum, si solutio debiti non fiat tempore prefixo, sub intelligitur, quod sit venditum justo pre-

tio; *arg. L. fin. ff. de Contrah. empt. l. 16. §. fin. ff. h. t. l. 12. tit. 13. p. 5.*

202 *Pignoris obligatio variis modis finitur.* 1. Interitu totali rei. *L. 8. ff. Quib. mod. pign.* Si res deterioretur adhuc in ea manet pignus. *L. 15. tit. 13. p. 5. 2.* Si debitum totaliter sit solutum, vel aliter satisfactum. *L. 11. C. de Pignor. añ. l. 38. tit. 13. p. 5.* Si non est totaliter solutum debitum, sed tantum pars, adhuc remanet obligatio pignoris, potestque pro solutione vendi. *L. 43. tit. 13. p. 5. 3.* Si debitor per sententiam Judicis, licet injustam, absolvatur. *L. 13. ff. Quib. mod. pignor. 4.* Si creditor debitori debitum remiserit, saltem tacitè, & reddendo singrapham. *L. 17. §. 2. ff. de Pañ. l. 7. C. de Remis. pign.* Vel si pignus restituitur debitori, quando non constat, quod ad alienam finem restituit. Si creditor remittat debitum, etiam jus pignoris remisisse censetur: non verò contra, nam etiam si jus pignoris remittat non censetur debitum remisisse. *L. 40. tit. 13. p. 5. 5.* Si tempus, ad quod fuit pignus constitutum, sit elapsum. *L. 6. ff. Quib. mod. 6.* Si creditor recuset recipere debitum, à debitore oblatum, & hic pecuniam obsignaverit, & solemniter deposuerit. *L. 11. C. de Pignor. añ. l. 38. tit. 13. p. 5. 7.* Si creditor consentiat alienationi pignoris à debitore factæ: nam obligationem pignoris censetur remisse. *L. 4. §. 1. ff. Quib. mod. pignor.* Pignus non potest à creditore præscribi, ex defectu tituli, bonæ fidei, & possessionis. Si verò ab ipso debitore, vel ejus hærede possideatur, quia fortè non tradidit debitor pignus, extinguitur pignus 40. annis, nec postea potest pignus peti. *L. 7. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. l. 39. tit. 13. p. 5.* Si extraneus illud possideat, cum justo titulo 10. annis inter presentes, & 20. inter absentes, & sine titulo 30. annis præscribit. *L. 7. C. de Præscript. 30. vel 40.* sive res sit mobilis, sive immobilis, cum in his Legibus nulla fiat distinctio. *L. 39. tit. 13. p. 5.* Actio directa pignoris à creditore contra debitorem præscribitur 30. annis, si hoc tempore pignus non luat, solutione debiti oblata, ac proinde hoc tempore elapso, non potest debitor pignoratitiam actionem contra creditorem movere. *L. 3. C. de Præscript. 30. vel 40.*

TIT. XXII.

De Fidejussoribus.

203 *Fidejussio sic dicta est à fide, & jussio*: quia fidejubens, alterum de sua fide securum esso jubet. *L. 75. §. 6. ff. de V. O.* Etiam *intercessio* appellatur estque *contractus*, in quo quis *promittit*, se soluturum, quod alius, ut debitor principalis debet, si ipse non solvat. *L. 1. tit. 12. p. 5. ibi: Fiador tanto quere decir, como ome que dà su fe, è promete à oro de dar, ò de facer alguna cosa por mandado, ò por ruego de aquel que le mete en la fiadura.* Qui promittit, & in se alienam obligationem suscipit, dicitur *fidejussor*, *sponsor*, & *adpromissor*: quia pro alio promittit, & in hoc differt à *Correo* debendi: nam hic principaliter, & pro se promittit. Et etiam differt à *mandatore*: nam mandator suo nomine obligatur, & obligationem principalem præcedit: fidejussor regulariter sequitur obligationem principalem. Etiam differt à *Constituto*, nam hic non necessario se obligat pro alio, sicut fidejussor, sed potest quis constituere, quod alter, vel etiam ipsemet debet. Etiam differt ab *expromissore*: nam hic ita in se accipit alienam obligationem, ut principalem reum liberet, & fit novatio obligationis: fidejussor verò remanet obligatus simul cum principali. *L. 1. tit. 12. p. 5.* Fidejussio Jure Civili erat stipulationis species, certam verborum formam requirens. *L. 8. ff. h. t. l. 12. C. eod. l. 6. tit. 12. p. 5.* Et in hoc differt à *mandato*: nam mandatum nudo consensu, & inter absentes constituitur. At verò Jure Canonico. *c. 1. de Pañ. & Hispano. L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C.* nequitiam est necessaria stipulatio ad fidejussionem, sed quocumque modo potest fieri. Et ita tenet *Greg. Lop. in l. 6. tit. 12. p. 5. V. Diciendole.* Fidejussio ergo alia est *judicialis*, & propriè *satisfadario* appellatur, quia, scilicet, in iudicio, quis constituitur fidejussor. Et quidem, si fidejussor caveat de *juicio sisti*, *vas* dicitur, *Hispanè: Fiador de la haz*, qui solum se obligat reum, vel carceri restituere, vel Judici presentare. Si caveat de *solvendo iudicato*, *Pras* dicitur, *Hispanè: De juscado, y sentenciado.* Alia est *extrajudicialis*, quæ scilicet extra iudicium, & præcipuè in contractibus adhibetur: quod si à Lege, vel imperio Magistratus inducatur, dicitur *necessaria*. *L. 13. ff. de*

Usurarii. Si absque hac necessitate sit, *voluntaria* erit. Si pro debito solvendo simpliciter fidejussor se obligat; est *fidejussio simplex*. Si in residuum se obligat, hoc est, in casum, quo creditor integrum debitum consequi non possit, *fidejussio indemnitatis* dicitur, *Hispanè: De sacar à paz, y à salvo.* Rursus fidejussio, alia est *principalis*, quando fidejussor pro principali debitore se obligat: alia *sucedanea*, quando pro fidejussore fidejubet. *L. 8. §. fin. ff. h. t.* Ita ut sit fidejussor fidejussoris, imò aliquando, ita quis fidejubet, ut principaliter in se obligationem principalis debitoris suscipiat, ita ut ex fidejussore fiat debitor principalis, & dicitur obligari *insolidum*, *Hispanè: De mancomun.* Et tunc est in electione creditoris etiam ab ipso fidejussore, non interpellato debitore, petere debitum. Si fidejussor facillè possit conveniri, & tantas habeat facultates, ut creditor servari valeat indemnis, est fidejussio *idonea*; *inidonea* tamen, si fidejussor difficile valeat conveniri, vel quia rixosus est, vel quia non habet sufficientes facultates pro debito solvendo. Ideò in nostra Hispania requiritur, quod fidejussores sint. *Legos, llanos, y abonados. L. 8. tit. 10. lib. 9. R. C. l. 4. tit. 20. lib. 8. R. Ind.* In via executiva ne executus incarcerationem debet dare fidejussorem evictionis, *Hispanè: De Sancamiento. L. 19. tit. 21. lib. 4. R. C. Et ibid. Aro. ex n. 53.*

204 Fidejussores accipere possunt omnes illi, qui possunt promissiones, seu stipulationes acceptare. *L. 1. tit. 12. p. 5.* Similiter fidejubere possunt, quicumque se obligare possunt, nisi specialiter prohibentur. *L. 1. tit. 12. p. 5.* Prohibentur 1. furiosi, & infantes. 2. Pupilli sine Tutoris autoritate. Servi, nisi fidejubeant jussu Domini, vel ex peculiari. *L. 19. l. 20. ff. h. t. l. 2. tit. 12. p. 5.* Minor Curatorem habens, sine ejus autoritate nequit fidejubere. Si Curatore caret, fidejubendo obligatur, sed si ledatur, restituitur, imò etsi cum autoritate Curatoris fidejubeat, restituitur in integrum, si ledatur. *Molin. de Just. tr. 2. D. 540. n. 25. Gom. 2. Var. cap. 13. n. 19. 3. Religiosus sine consensu Prælati, & majoris partis Capituli in Religionibus, in quibus proceditur capitulariter; in aliis autem requiritur Superioris licentia. c. 4. h. t. c. 2. de Solut. l. 2. tit. 12. p. 5.* Aliè fidejussio est nulla, nec tenetur Religiosus, nec Monasterium; nisi in quantum utilitatem percipit. *Molin. de Just. tr. 2. D. 540.*

n. 23. & alii. 4. Clericus prohibetur abusus, seu nimia frequentia fidejubeendi, præsertim pro Laicis. c. 1. h. t. l. 2. tit. 12. p. 5. Cum non debeant se negotiis sæcularibus implicare. Si tamen fidejubeant, licet illicita, erit tamen valida fidejussio. L. 45. tit. 6. p. 1. ibi: *Pero si entrassen en alguna de estas fiaduras; que les son defendidas, valdrá la fiadura*: quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent. c. 16. de Regul. Et de patrimonialibus; vel quasi patrimonialibus satisfacere tenentur: & his deficientibus, de rebus perceptis beneficii; sed ita ut ipsi non egeant. c. 2. h. t. L. 45. tit. 5. p. 1. In uno, vel altero casu, præsertim, causa pietatis licite fidejudent Clerici. Gonz. in c. 1. h. t. n. 4. & alii. 5. Miles, qui est in expeditione, & castris, nequit fidejungere, nisi in rem suam fidejubeat, ne ipsum à militia avocet negotiorum forensium occupatio. L. 15. C. de Re Milit. L. 2. tit. 12. p. 5. ibi: *Non pueden ser fiadores por otros los Cavallos de la mesnada del Rey*. Prælati, & Episcopus, licet ex justa causa, & non in magna quantitate possit ex redditibus suæ mensæ fidejungere, cum hoc ad liberam administrationem pertineat, non tamen potest aliter fidejungere. c. 19. 11. q. 1. Et tunc cum nomine proprio fidejubeat, ipse solus obligatur. Si nomine Capituli, ejusque consensu requisito fidejubeat, Ecclesia, vel Monasterium obligatur. arg. c. 4. h. t. Sed si damnum sequatur, restituitur. c. 1. c. 3. de in Integr. restit. Si consensum Capituli non requisivit; non tenetur Ecclesia ex tali fidejussione.

205 7. Mulier, non solum pro marito, sed etiam pro quolibet alio, ob suam imbecillitatem fidejungere prohibetur ex S. C. Vellejano, tot. tit. ff. & C. ad S. C. Vellej. L. 14. tit. 12. p. 5. Adeo ut possit repetere solum ex fidejussione facta, & creditor, etiam antè repetitionem, & sententiam restituere tenetur solum cum non fiat Dominus ejus. L. 16. §. 1. ff. ad S. C. Vellejan. Mulier tamen ex fidejussione obligatur, si fidejussit pro pecunia Domino promissa, ut servus libertatem consequatur. L. 24. C. ad S. C. Vellejan. L. 3. tit. 12. p. 5. & ibid. Greg. Lop. ubi addit, idem esse dicendum, si mulier pro alia pia causa intercedat, cum valeat argumentum de libertate ad piam causam, & è contra. Vel si pro fidejussione accepit pretium periculo fidejussionis æquivalens. L. 23. C. eod. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si bienio post fidejussionem elapso, eam renovet. L. 22. C. eod. l. 3. tit. 12. p. 5. Vel si

fidejubeat pro dote alterius mulieris. L. fin. C. ad S. C. Vellejan. L. 3. tit. 12. p. 5. Vel si fidejussio in illius redundet utilitatem, v. gr. si fidejubeat pro eo, qui in quantitate æquali est illius fidejussor: vel pro creditore, cui ipsa tantumdem debet: vel pro debitoris defuncti, cujus hæreditatem ipsa emit. L. 13. l. 22. l. 24. ff. ad S. C. Vellej. L. 3. tit. 12. p. 5. Vel si apud creditorem minore 25. annis intercessit. L. 12. ff. de Minor. & ibid. Gothofr. Vel si ex dolo creditorem velit decipere. V. gr. si esset in habitu viri, ita ut creditor judicaret, eam esse virum. L. 5. C. ad S. C. Vellej. ibi: *Non succurreret Senatus Consulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum consultum est*. L. 3. tit. 12. p. 5. Vel si fidejussit coram publico Magistratu, vel si fidejussio juramento est firmata; arg. c. 28. de Jur. jur. vel publico instrumento, tribus testibus adhibitis, roborata. L. 23. §. fin. C. ad S. C. Vellej. Vel si renuntiet, etiam simpliciter renuntiatione, huic beneficio principaliter in mulierum commodum introducto, cum sciat se tali privilegio jvari, ut contra Vinium, Select. qq. l. 1. cap. 48. & alios tenent Perez in Cod. ad Tit. ad S. C. Vellej. n. 33. & alii. Ex L. 2. §. 2. & l. fin. §. 4. ff. ad S. C. Vellejan. & ibid. Gothofred. Nec enim tam faciles sunt ad renuntiandum suis privilegiis, sicut ad fidejubeendum, sed majori reflexione illud faciunt. Et expressè habetur in L. 3. tit. 12. p. 5. ibi: *Renunciando de su grado, è desamparando el derecho que la Ley les otorgó à las mugeres en esta razon*. Vel si consentiat expressè, vel tacite, ut ejus bona à matito, tamquam propria obligentur, ignorante creditore, ea bona mulieris esse. L. 5. C. ad S. C. Vellejan. Quod si mulier velit pro marito fidejungere, non potest hoc facere, nequidem renuntiando S. C. Vellejano. L. 9. tit. 5. lib. 5. R. C. Greg. Lop. in l. 3. tit. 12. p. 5. V. Renunciando.

206 Fidejussoris obligatio est accessoria obligationi principali, quam supponit. §. 5. Inst. h. t. Hinc, si principalis obligatio invalida sit, etiam fidejussio est invalida. L. 16. ff. h. t. V. gr. si quis in promissione usurarius, vel rei temporalis pro spirituali fidejubeat, fidejussio erit irrita, cum promissiones, quibus accedit à jure reprobentur; arg. L. 178. ff. de Reg. jur. c. 46. eod. in 6. Quod si quis pro alio se constituat debitorem principalem, non erit fidejussor, cum non accessorie obligetur. Fidejussor potest se obligare in eadem summam, vel minorem, quam debet,

principalis, non tamen in majorem, quia cum sit accessoria, non plus in ea, quam in principali potest esse. §. 5. Inst. h. t. L. 8. §. 7. ff. eod. Et si in plus obligetur, erit fidejussio nulla, non in totum, ut censet Fachin. L. 8. Controv. cap. 51. sed solum quoad excessum, quia in majori minor quantitas continetur, ut tenent Gloss. in L. 8. §. 7. ff. h. t. Gom. 2. Var. cap. 13. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 541. n. 3. Et expressè habetur in L. 7. tit. 12. p. 5. ibi: *Por mas de quanto es el debdor principal obligado, non se puede obligar el Fiaador; è si lo ficieren, non vale la fiadura, quanto en aquello que es demás*. Potest tamen obligari ad plus intensivè, seu efficacius; sic licet obligatio principalis sit naturalis tantum: v. g. si quis pro pupillo, sine Tutoris autoritate contrahente, fidejubeat, ex fidejussione civiliter, & efficaciter obligatur. L. 16. §. 3. ff. h. t. L. 5. tit. 12. p. 5. Cuicumque obligationi, sive oriatur ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, potest fidejussor adhiberi, sive civiliter, sive criminaliter agatur, excepta tamen poena sanguinis; vel alia corporali. L. 46. §. fin. l. 70. §. fin. ff. h. t. Quia nemo est Dominus membrorum suorum. L. 13. ff. ad Leg. Aquil. Pro dote conservanda, aut restituenda, matrimonio constante, non possunt à marito exigi, nec dari fidejussores, ne causa perfidie generetur in connubio. L. 1. & 2. C. Ne fidejussor. dor. dentur. Nec plus debet uxor fidei alienæ, scilicet, fidejussoris, tribuere, quam mariti; si non uxor, sed alius promittat dotem, cum cesset hæc ratio, fidejussorem petere potest à marito. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 425. n. 2. Etiam obligationi futura adhiberi potest fidejussio, quæ est conditionalis, si ponatur obligatio; quod si deficit ipsa fidejussio evanescit: potest etiam sub conditione, vel ad tempus fieri fidejussio. L. 6. tit. 12. p. 5. Si fidejussor in totam causam fidejussit tenetur etiam ad usuras, & ad incrementum debiti ex mora. L. 68. §. 1. ff. h. t. Si solum fidejussit pro debito, quantum ab initio fuit, in id tantum obligatur nec actus agentium ultra agentium intentionem operari valent. L. 19. ff. de Rebus credit.

207 Licet olim creditor posset etiam ante debitorem principalem convenire fidejussorem. L. 2. l. 5. C. h. t. Tamen in Authent. Præsent. C. h. t. fuit introductum à Justin. beneficium Ordinis, seu Excussionis; ita ut si prius fidejussor, quam debitor principalis conveniatur, hanc ex-

ceptionem possit opponere, ut prius bona principalis excutiantur. L. 9. tit. 12. p. 5. Potest tamen fidejussor conveniri prius, quam principalis, si notorie non habeat unde solvat principalis, vel si fidejussor huic beneficio, pro ipso introducto, renuntiet, vel si principalis, non nisi difficultè possit conveniri, quia abest longè à Provincia, vel later, vel potens, vel rixosus est, vel si pater pro filio, vel alius fidejussit pro eo, qui solum naturaliter potuit obligari: cum enim tunc adversus principalem actio non competat, non est locus excusioni. Vel si fidejussor neget, se fidejussisse, & mendacii convincatur. Si quando sunt plures fidejussores, singuli pro parte debiti se obligantur, tantum ad eam partem tenentur: si singuli insolidum quilibet potest conveniri, possunt tamen opponere beneficium divisionis ex Epist. D. Aariani, non ipso jure competens, sed per viam exceptionis, ut scilicet cæteri confidejussores pro virili portione concurrant ad solvendum. §. 4. Inst. h. t. L. 16. ff. eod. Si aliquis fidejussor tempore divisionis non sit solvendo, reliqui ad totum debitum solvendum obligantur imo etiam unus, qui solvendo est. §. 4. Inst. h. t. Si verò post divisionem legitime factam inter fidejussores aliqui fiant non solvendo, non obest aliis confidejussoribus, sed creditori, quia ipsi postquam semel sunt liberati, non possunt reduci invit in pristinam obligationem. L. 51. §. Cum inter, ff. h. t. L. 16. C. eod. Non gaudent hoc beneficio divisionis fidejussores. 1. si ipsi beneficio, pro ipsis introducto, renuntient, vel expressè, arg. L. 29. C. de Pañ. vel tacite, scilicet, non opponendo hanc exceptionem, saltem antequam sententia executioni mandetur: nam tunc, qui solvit non potest à creditore petere partem solum tamquam indebitam, nec ab aliis confidejussoribus. §. 4. Inst. h. t. 2. Si cæteri fidejussores solvendo non sint, qui solvendo est, totum solvere debet. §. 4. Inst. h. t. 3. Quando simul cum muliere aliquis fidejussit; nam scire potuit, aut ignorare non debuit, mulierem frustra interceder. L. 48. ff. h. t. 4. Fidejussores, rem pupilli salvam fore, non habent beneficium divisionis. L. fin. ff. Rem pupill. Et ibid. Gothofred. 5. Si falso negent fidejussisse: nam infantiibus, auxilium divisionis non est indulgendum. L. 10. §. 1. ff. h. t. In nostra Hispania, quando plures fidejussores insolidum se obligant, potest creditor à quocumque totum debitum petere, & uno solvente, cæteri liberantur, & tunc

non possunt beneficium divisionis opponere, si verò non insolidum, sed simpliciter se obligarunt, & omnes sunt solvendo, non potest creditor petere à quolibet, nisi partem ipsi correspondentem, & si unus non sit solvendo, alii tenentur etiam pro illius parte, & in hoc casu apud nos non est necessaria Epistola D. Adriani. *L. 8. tit. 12. p. 5. & ibid. Greg. Lopez. V. Toda la debda. Et V. Cada uno.*

208 Si nullo ex his remediis usus est fidejussor habet beneficium *cedendarum actionum*, vi cuius non solum excipere contra creditorem petentem debitum, sed ab ipso creditore potest petere, ut ipsi cedat actiones, quas habet adversus debitorem principalem, & alios fidejussores, & possessores pignorum. §. 6. *Inst. h. t. l. 15. l. 17. ff. eod. l. 11. l. 21. C. eod. l. 11. tit. 12. p. 5.* Si aliquis ex fidejussoribus solidum solvit, & ipsi actiones non sunt cessæ à creditore nullam habet actionem adversus confidejssores. *L. 34. ff. h. t. l. 13. C. eod. l. 11. tit. 12. p. 5.* Imò neque contra debitorem principalem, si ipso prohibente solvit. *L. 41. ff. Mand.* Si vero solvit pro principali debitore, ipso presente, & mandante, vel sciente, competit fidejussori contra debitorem actio mandati. §. 6. *Inst. h. t. junct. L. 6. §. 2. ff. Mandat. l. 12. tit. 12. p. 5.* Si solvit, ipso debitore absente, & ignorante competit fidejussore adversus eum actio negotiorum gestorum. *L. 4. ff. de Negot. gest.* Si pro alio absente, à mandato Titii: v. g. fidejussi, tenetur mihi mandator, & non debitor ad ea, quæ solvi, nisi in debitoris utilitatem fidejussio convertatur, quia tunc, & quando debitor erat presens, & non contradixit, est in mea electione agere contra ipsum, vel contra mandantem. *L. 13. tit. 12. p. 5.* Fidejussor regulariter ante solutionem non potest à creditore debiti solutionem impetrare. *L. 14. tit. 12. p. 5.* Potest tamen ante solutionem petere liberationem, si fidejussor sit condemnatus debitori principali; quia perinde est, ac si solvisset, cum adversus fidejussorem sit parata executio; vel si debitor ad inopiam vergat, vel si diu, & culpabiliter solvere differat. *c. fin. h. t. l. 38. §. 1. ff. Mandat. l. 14. tit. 12. p. 5.* Vel si fidejussor ex gravi causa: v. g. studiorum, vel negotiationis peregrè sit profecturus, & diu non rediturus; vel si pactum cum debitore fecit fidejussor, ut post certum tempus, eum à fidejussione liberet. *L. 10. §. fin. ff. Mandat. l. 14. tit. 12. p. 5.* Vel si capitales inimicitiiæ suboriantur inter fi-

dejussorem, & debitorem; *arg. L. 8. §. fin. ff. de Procurat.* Et quidem hujus culpa, secus si culpa fidejussoris, ne in ejus manu sit, se ab obligatione liberare.

209 Hæredes fidejussoris tenentur, sicut ipse fidejussor; & easdem exceptiones habent, ac ipse fidejussor, ac proinde fidejussio non finitur morte. *L. 24. C. h. t. l. 16. tit. 12. p. 5.* Finitur tamen fidejussio debitore principali solvente debitum, nisi evincatur id, quod dedit in solutum. Vel si creditor fidejussori obligationem remittat, vel à creditore legere liberatio. *L. 49. ff. h. t.* Vel si obligatio antecedens innovetur, & in eam non consensit fidejussor. *L. 4. c. h. t.* Vel si fidejussor sit hæres debitoris, vel debitor hæres fidejussoris, quia nemo potest apud eundem pro se ipso esse obligatus. *L. 21. §. 3. ff. h. t.* Vel si creditor tempus pro roget debitori. Ideò si quis pro officiali, cujus officium per unum annum durat fidejussit, & anno expleto, officium prorogatum est inconsulto fidejussore; hic tantum tenetur pro periculo prioris anni, pro quo fidejussit, non verò pro tempore prorogato. *L. 27. §. 1. ff. de Pañ. Gonz. in c. fin. h. t. n. fin.* Si quis sub poena fidejussit, reum criminis *Judicio sibi* ad certum diem, si reum ad illum diem non potuit invenire, illi conceditur tantum temporis, quantum continebatur in primo termino, si non excedebat sex menses, & si secundo termino elapso, reum non sistant in judicio, solvet fidejussor poenam promissam, quod si primus terminus sex menses excedat, in secundo termino solum sex menses conceduntur. *L. 26. C. h. t. l. 17. tit. 12. p. 5.* Potest tamen fidejussor primo termino elapso, reum defendere in judicio, & debet concludere iudicium semel ceptum; & si reus sine culpa invenitur, absolvitur fidejussor; aliàs solvet poenam promissam, & interesse. Sed si reus ad aliquid dandum, vel faciendum tenebatur, illud solvendo, liberatur à poena fidejussor. *L. 26. C. h. t. l. 18. tit. 12. p. 5.* Si reus in primo termino moriatur, non tenetur fidejussor ad poenam promissam, tenetur tamen, si post terminum primum moriatur, nam jam poena erat commissa. Si nullam poenam promissit, arbitrio Judicis condemnatur. *L. 26. C. h. t. l. 19. tit. 12. p. 5.* Si verò nec dies, nec scriptura intervenit, si creditor non petat à fidejussore, quod reum exhibeat, usque ad duos menses liberatur à fidejussione, nisi fidejussit in negotio ad Regem, vel Communitatem pertinente, vel fidejussio est in instrumento

to publico confecta, nam tunc usque ad tres annos, sed non ultra durat. *L. 19. t. 12. p. 5.* Si ille, qui sub certa poena promisit, aliquem in judicio exhibere, in poenam incidat, hæc debet peti intra annum, à die, quo in poenam incidit, sed eo elapso, jam non potest amplius ab eo peti. *L. 10. tit. 16. lib. 5. R. C.*

TIT. XXIII.

De Solutionibus.

210 *S*olutio generaliter sumpta pro quacumque satisfactione debiti sumitur, sive fiat acceptilatione, quæ est imaginaria solutio, qua creditor debitum habet pro accepto. *L. 1. ff. de Acceptilati.* sive novatione, qua vetus obligatio in novam transfunditur, eodem creditore, & debitore manente. *L. 1. ff. de Novation.* sive delegatione debiti, qua tollitur prior obligatio interventu novi debitoris; qui enim debet in delegationem consentire. *L. 1. & 6. C. de Novation.* sive compensatione, qua creditor rem, quæ non est debita, loco solutionis accipit. *L. 20. C. h. t.* sive transactione, sive pacto de non petendo, sive alio modo fiat. *L. 54. ff. h. t. l. 47. l. 176. ff. de Verbor. significat. l. 2. t. 14. p. 5.* specialiter tamen accepta solutio est *rei debite loco*, & tempore debito creditori facta *redditis*. *L. 49. l. 67. ff. h. t. l. 1. tit. 14. p. 5.* ibi: *Paga tanto quiere decir, como pagamiento, que es fecho á aquel, que debe recibir alguna cosa, de manera, que finque pagado della, ò de la qual deben hacer.* Si solvens sit Dominus rei, transfert in creditorem illius dominium. *L. 10. C. h. t. si secus, si usucapiendi pro soluto. L. 46. ff. de Usucap.* Debitorque ipso jure liberatur à debito, omnesque obligationes reales, personales, & accessorie, ut fidejussiones, pignora, & hypothecæ tolluntur. *L. 43. ff. h. t. l. 1. tit. 14. p. 5.* Et sanè cum non possit, invito creditore, unum pro alio solvi. *L. 2. §. 1. ff. de Rebus credit. L. 3. tit. 14. p. 5.* Idipsum, quod debetur, solvendum est, & cum in rem debitam debitor determinatè habeat jus, non satisfit per aliam, etiam æquè bonam; nec quod simul acceptum est, debet per partes solvi. *L. 41. §. 1. ff. de Usur. & fruñ. l. 9. C. h. t.* nisi ex consensu creditoris, vel alia justa causa. *L. 41. §. 1. de Usur.* & qui factum promisit, non satisfacit offerendo interesse, nisi quando factum promissum non potest

amplius præstari. *L. 13. §. 1. ff. de Re jud. l. 3. tit. 4. p. 5.* Et cum in solutione non attendatur materia monetæ, sed valor. *L. 1. ff. de Contr. empr.* non est necesse solutionem fieri in auro, v. g. si in auro acceptum est mutuum, sed in quacumque specie monetæ currentis fieri potest. *L. 9. l. 35. ff. de Aur. & arg. leg.* nisi aliter ex conventionem, vel statuto debeat fieri, vel si creditor pateretur damnum ex solutione facta in diversa moneta. *L. 99. ff. h. t.* Quod si tempore solutionis valor monetæ sit mutatus, debitor satisfacit solvendo in moneta corrente secundum præsentem valorem. Si inter contrahentes de tempore solutionis sit conventum, eo adveniente, etiamsi creditor non urgeat, solvi debet, quia dies interpellat, pro homine. *c. fin. de Locat. L. 12. C. de Contrah. stip. L. 8. tit. 14. p. 5.* Imò etiam antequam adveniat, potest debitor solvere, si ut frequentè fit, dies in ejus gratiam non verò creditoris adjectus sit. *L. 70. ff. h. t.* Quin etsi ante diem solvat ex errore, non habet conditionem indebiti. *L. 10. l. 27. ff. de Condiñ. indebt.* nisi ratione celeris solutionis aliquid creditor ultra sortem percepisset. Si incertum sit, an ille dies sit exiturus: v. g. si dicatur: *Quando Navis ex Hispania venerit*, potest concedi tamquam indebitum quod ante talem diem est solutum, cum sit promissio conditionalis, ac proinde nihil debeatur. *L. 18. ff. de Cond. indebt.* Si verò certum est, diem exiturum, licet ignoretur, quando, v. g. *solvam quando moriar*, non potest repeti solutum; cum illud absolute debitum sit quoad substantiam. *L. 18. ff. de Cond. indebt.* si dies non sit adjectus solutioni, potest differri ex tacita voluntate creditoris, donec ipse petat. *L. 10. C. de Pignor.* Hinc, si creditor non petat debitum ex ignorantia, vel timore, vel alia causa, debet debitor statim solvere. *Molin. de Just. tr. 2. D. 564.* si locus solutioni sit assignatus, ibidem fieri debet solutio, *L. 9. ff. de eo, quod cert. loc.* Et si alibi petat creditor, plus loco petiisse dicitur. *L. 2. §. 1. ff. eod.* nisi debitor numquam ad locum assignatum veniret; nam tunc alibi posset eum convenire. *L. 1. ff. eod.* quando debitum ex delicto provenit, ubi est creditor, debet solutio fieri, quia perfectè indemnitas debet reddi à debitore. Si locus non est assignatus, & contractus est mere gratuitus, sufficit solvi, ubi res erat promissionis tempora. Si in contractu debeat reddi eadem res accepta, ut in deposito, vel commodato, in loco rei accep-

accepta fit solutio, vel redditio; si in contractu aliud, quam quod est acceptum, reddi debet, ut in emptione in loco traditæ mercis est pretium solvendum.

211 Debitor habens suarum rerum administrationem, non solum per se, sed etiam per Procuratorem habentem speciale mandatum, vel generale cum libera, potest suis creditoribus solvere. *L. 87. ff. h. t. Etiam quicumque extraneus, volente debitore: & tunc contra ipsum debitorem, sic solvens habebit actionem mandati, qua potest repetere, quod pro eo solvit. L. 6. §. 2. ff. Mandat. Etiam ipso debitore ignorante potest alius pro eo solvere: & tunc actione negotiorum gestorum poterit solvens repetere solutum. L. 41. l. 43. ff. de Negor. gest. si verò quis, invito debitore, pro eo solvat, debitor liberatur. L. 3. tit. 14. p. 5. Sed solvens, nullam actionem adversus eum ad solutum recuperandum, habet, quia donandi animo solvisse censetur; arg. *L. fin. C. de Negor. gest. l. 6. §. 2. ff. Mandat.* Non habentes suarum rerum administrationem; ut pupilli, minores, & prodigi non possunt sine Tutoris, vel Curatoris autoritate solvere, cum solutio sit alienationis species. Nec solutio tenet, dum apud creditorem extat pecunia. Sed si sit consumpta, solutio convalescit plenamque parit liberationem, ne in minorum damnorum retorquetur, quod in eorum favorem introductum est. *L. 14. §. fin. ff. h. t.* Si debitor, quando contraxit, aliquod Chirographum creditori dedit, quando solvit, potest illud repetere per conditionem sine causa. *L. fin. C. h. t. Vel age. re ad exhibendum. L. fin. C. Ad exhibend.* Si nullum dedit, vel quod dedit est amissum; potest à creditore petere *Apotham*, in qua creditor debitum solutum esse, fatetur. *Hispanè: Carta de pago, y finiquito.* Qui debet ex pluribus causis, æquè principalibus, & solvit, non exprimens, ex quo debito; in duriorem causam, per quam magis gravatur, censetur solvisse: quia facere præsumitur, quod sibi utilius est, v. g. si aliquid debet sub poena, vel sub usuris. *L. 1. l. 3. ff. h. t. l. 10. tit. 14. p. 5.* Illud solvisse censetur. Si verò unum debitum sit principale, aliud accessorium, v. g. quod debeat centum ex mutuo, & 50. ex usuris, cum arbitrio creditoris sit in quem summam velit solutum imputare, potest namque patere, ut prius usuræ, quam principale ipsi solvantur; tunc enim debitum accessorium creditor solutum, quia hoc utilius est creditori. *L. 5. §. 3. ff. h. t.**

212 Non solum creditori suarum rerum habenti administrationem rectè solvitur, sed etiam Procuratori, qui talis sit in rem suam, vel habeat speciale mandatum vel generale cum libera. *L. 12. ff. h. t. l. 7. tit. 14. p. 5.* Etiam potest solvi adjecto in contractu solutionis causa. *§. 4. Inst. de Inut. stipul. L. 5. tit. 14. p. 5.* Vel servis, vel filiis familias si peculi administrationem liberam habeant, vel sint pecuniis exigendis præpositi. *L. 18. ff. h. t.* Quod si negotiorum gestori fiat solutio, & postea Dominus ratum habeat, debitor liberatur. *L. 5. tit. 14. p. 5.* Si debitor sine creditoris mandato creditoris creditori solvat, non ipso jure liberatur; sed opponendo exceptionem doli potest defendi, si creditor immediatus debitum petat. *L. 6. ff. de Dol. mal. except. Si debitore solvente modo debito, creditor non lit debitum accipere, potest debitor pecuniam consignare Magistratui, & liberatur. L. 6. C. h. t. l. 8. tit. 14. p. 5.* Si creditor administratione suarum rerum caret, ut pupilli vel minor, Tutori, vel Curatori est solvendum, sed quia adversus solutionem iis factam potest pupillus, vel minor restitutionem petere, debitor impetrabit Decretum Judicis interponi, ut sic plenissima liberatio sequatur. *§. fin. Inst. Quib. alienar. licet. L. 4. tit. 14. p. 5.* Successor in Prælatura, vel Beneficio solvere debet debita ab antecessore contracta ex justa causa, pro utilitate, & necessitate Ecclesie, imò & pro necessaria, & decenti persona sustentatione, vel ejus sepultura; cum Ecclesia suum Rectorem alere teneatur, & successor in beneficio se habeat, sicut hæres, in quem omnia commoda, & onera realia transeunt. *l. r. h. t.* Ac proinde ex bonis, & redditibus Ecclesie, vel beneficii tunc tenetur debita solvere: non tamen tenetur solvere debita contracta ex inutilibus, vel etiam non necessariis causis, ne Ecclesia, vel successor alieno facto prægravetur. *c. 76. de Reg. jur. in 6.* Quod si beneficiarius non reliquit bona patrimonialia, undè talia debita solvantur, suæ infelicitati, vel facilitati debet creditor hoc imputare. *Gonz. in c. 1. h. t. n. 5. & 6.*

213 Non potest creditor, etiamsi debitum liquidum sit, illud sibi propria autoritate ex bonis debitoris accipere: quippe nemo sibi jus dicere valet. *L. 13. ff. Quod met. caus.* Si enim debitor propria autoritate sibi debitum accipiat, illud tenetur restituere, & si aliquid pignus accepit pro debito debet utique pignus resti-

restituere, nec ipsi super debito respondebitur, donec pignus restituatur. *L. 14. tit. 14. p. 5.* Si ergo nolle debitor solvere debitum, & quidem totum, creditor eum coram suo Judice convenire debet: hic ergo eum solvere condemnavit: quod si non solvat, Juxta ad executionem procedet, bona in publica subhastatione vendendo, & bonis deficientibus, vel non sufficientibus ad solutionem, debitorem in carcere detinet, donec integrè solvat. *Gom. 2. Var. cap. 11. n. 5. Covar. l. 2. Var. cap. 1. n. 2. Molin. de Just. tr. 2. d. 573.* Aliquando possunt debitores hanc carceris molestiam effugere, cessionem, scilicet, omnium bonorum faciendo creditoribus, ut pro viribus satisfaciant, & cavendo, se pro residuo satisfacturos, cum ad meliorem deveniant fortunam. *L. 4. C. Qui bon. ced.* Hoc beneficio cessionis non gaudent, ac proinde incarcerandi sunt, qui tali beneficio, in debitorum favorem introducunt. *L. fin. C. Qui bon. ced. renuntiantur, vel cum, vel sine juramento; arg. L. 29. C. de Pañ. Vel qui sua bona in fraudem creditorum dissipant. L. fin. §. fin. ff. Que in fraud. cred. & ibid. Gothofr.* nulli enim debet suis dolus patrocinari. Nec eo gaudent, qui speculatione contraxerunt, vel qui aliqua bona in cessione occultasse convincuntur, frustra enim auxilium Legis implorant, qui in eam committunt. *c. 14. de Usur.* Similiter, qui aliquam poenam pecuniariam ex rapina, furto, vel alio delicto debent, non possunt bonis cedere; sed ne delicta maneat impunita, si non habent in ære, luent in corpore. *L. fin. ff. de In jus voc. L. 1. §. fin. ff. de lenis.* Pro debito tamen, quod parti debetur, etiamsi ex delicto descendat, bene potest fieri cessio. *L. 9. tit. 16. lib. 5. R. C.* In nostra Hispania, qui ob debita privata incarceratur, potest cedere bonis, renuntiat enim carceri, vel Catena, ut dicitur, & per novem dies præconio publico ejus creditores citantur, sua bona venduntur in publica subhastatione, & solvitur creditoribus, & si bona non sufficiant, ut ipsis fiat satis, ipse traditur suis creditoribus cum torque ferreo ad collum patentèr posito, ut ipsis gradatim juxta debita serviat tempore, quo possit debitum compensare suo opere, & servitio. *L. 4. & seqq. tit. 16. lib. 5. R. C. & ibid. Acc. Rev. in Cur. 2. p. §. 25. Paz in Prax. tom 1. p. 4. cap. 8.* conductores sabbellarum Regis, *Hispania Arrendadores de las Rentas Reales.* Nec fidejussores illorum gaudent hoc cessionis

beneficio, sed debent in carcere detineri donec solvant cum effectu. *L. 5. tit. 6. lib. 9. R. C.*

214 Alii autem debitores privilegio competentis gaudent, ita ut neque incarcerari, neque cedere bonis teneantur, sed solum in id, quod facere possunt, id est, non in totum debitum; sed solum conveniuntur, congrua sustentatione retenta. Tales sunt parentes adversus liberos, & ascendente adversus descendentes, & vicisim. *L. 16. ff. de Re jud. Fratres adversus fratres, & Patronus, & patrona adversus libertum, & maritus in restitutione dotis. L. 17. ff. de Re jud. Et similiter uxor si à marito ex promissione dotis conveniatur. L. 20. ff. de Re judic. Utriusque conjugis soceri; sed uxoris socio, id est, mariti patri, etiam soluto matrimonio, hoc privilegium competit. *L. 15. §. 2. ff. Solut. matr.* Socero tamen mariti, id est, patri uxoris, solum constante matrimonio competit. *L. 22. ff. de Re judic.* Etiam hoc gaudent beneficio socii omnium bonorum. *L. 16. ff. de Re judic.* Mulieres honestæ, *Authent. Hodie. C. de Censur. reorum,* milites armatæ militiæ. *L. 18. ff. de Re judic.* Et *Togatz,* ut Doctores, Advocati, & artium Professores; *arg. L. 6. C. de Profes. & Medic. lib. 10.* Donator, si ex donatione conveniatur. *L. 19. §. 1. ff. de Re judic.* Et alii, qui miseratione digni sunt, de quibus *Gonz. in c. 3. h. t. ex n. 8.* Hoc privilegium personale est, ac proinde non transit ad fidejussores personarum eo gaudentium. Illi, quibus hoc privilegium competit ob reverentiam, ut sunt parentes, patroni, & conjuges non possunt huic privilegio renunciare, ceteri verò ut milites socii, &c. possunt ex *L. 41. ff. de Minor. l. 29. C. de Pañ.* Denique Clerici in causa civili, & actione personali conventi, eo gaudent, dando idoneam cautionem de solvendo: si ad pinguiorem fortunam perveniant quod constant ex per celebri *Text. in C. Oduardus, 3. h. t.* Ne cum dedecore status Clericalis mendicare cogantur, & cum sit privilegium in favorem totius Ordinis Clericalis introductum, non potest, nequidem cum juramento, ab aliquo renuntiare. *c. 12. de Foro competent. l. 38. ff. de Pañ.* Ut Clericus gaudeat hoc privilegio, debet esse talis, ut privilegio fori gaudeat, & quod ob inopiam solvere nequeat, de qua summarie, vel ex communi estimatione constare debet: & quod in talem inopiam, & impotentiam propria culpa non sit redactus. Non gaudet hoc pri-*

privilegio Clericus, qui debitum pertinaciter negat, si de eo convincatur, vel si tempore contractus, se Clericum esse, negavit; *arg. L. 2. C. Si minor, si major.* Nisi alter contrahens, illum sciat esse Clericum; nam scienti fraus non fit. *L. 34. C. de Transact.* vel si suspectus sit de fuga, vel bona dolose occultavit, nam in his casibus ob dolum potest excommunicari, & in carcerem detrudi. Si actione reali Clericus conveniatur, non gaudet hoc beneficio, quod quidem personale est, nec quando est criminaliter condemnatus ad poenam pecuniariam; nam tunc si non habet in aere luit in corpore. *Abb. in c. 3. h. t. n. 5.*

215 Solum debet solvi, quod verè debitum est, ac propterea, si contingat, quod quis errore solvat, quod non debet, potest illud pro qualitate indebiti repetere. Et quidem indebitum est in multiplici differentia: nam potest esse tale naturaliter, & civiliter, quod scilicet nec Jure Naturali, nec Civili obligatione debetur, & qui taliter indebitum solvit, si sciens fecit, donase creditur. *L. 53. ff. de Reg. Jur. l. 30. tit. 14. p. 5.* Et creditor tanquam donationem acceptare debet, alias revocari valet. *L. 18. ff. de Reb. credit.* Ac proinde nequit solvens repetere conditione indebiti. *L. 1. §. 1. ff. de Condit. indebit.* Si ex ignorantia, & errore facti solvit, cum error facti nemini noceat, repetere potest. *L. 28. tit. 14. p. 5.* Imò etsi solvatur per errorem juris, ut contra Perez in *C. Ad. h. tit. n. 24. & alios tenent Abb. in c. fin. h. t. n. 15. Gonz. ibid. n. 5. Mol. de Just. tr. 2. D. 567. n. 1.* Cum etiam juris error non solet obsesse in damno vitando, & suum repentibus. *L. 7. l. 8. ff. de Jur. & fact. ignor.* Et cum sine causa apud accipientem sit, æquitas non patitur, ut apud eundem remaneat, ne cum alterius jactura locupletetur. At verò *L. 6. l. 10. C. de Jur. & fact. l. 6. C. h. t.* in quibus contrarium decidi videtur, loquuntur in casibus specialibus. 2. Potest esse civiliter indebitum, naturaliter tamen debitum: v. gr. si ex pacto nudo aliquid debeatur: nam cum ex eo resultet naturalis obligatio, non nascitur civilis, saltem de Jure Civili. *L. 7. §. 4. ff. de Pact.* Ac proinde tale debitum, quamvis naturaliter debeatur, erit tamen civiliter indebitum. Qui ergo taliter indebitum solvit errore facti, vel Juris, nequit illud repetere: nam obligatio naturalis est sufficiens ad compensationem faciendam. *L. 6. ff. de Compensat.* Ergo ad retentionem;

arg. L. 20. ff. eod. & hoc profectò æquitas naturalis dicitur. 3. Potest esse civiliter debitum, indebitum tamen naturaliter, v. g. si quis Chirographo, sibi numeratam esse pecuniam, cum numerata non sit, fateatur, nam biennio elapso civiliter, non verò naturaliter tenetur. *Ex tit. Inst. de Litterar. obligation.* Is enim, qui taliter indebitum sive errore juris, vel facti solvit, saltem intra biennium illud potest repetere, vel exceptione, non numeratæ pecuniæ agentem repellere. *L. 7. C. de Non numerat. pecun.*

216 Qui dubitans, an debitum sit, solvit, repetere utique potest. *L. fin. C. de Condit. indebit.* Vel si debitum sub conditione de futuro, vel in diem incertum ante ejus adventum solvatur. *L. 16. ff. de Condit. indebit. l. 32. tit. 14. p. 5.* Etiam si non ipse, sed alius ejus nomine solvisset, ut Procuratori, vel Testamentarij. *L. 6. ff. de Condit. indebit. l. 1. C. eod.* Similiter si quis factum indebitum præstet ejus æstimationem potest condicere. *L. 26. §. 12. ff. de Condit. indebit. l. 40. tit. 14. p. 5.* Qui alternativè Stichum, aut Pamphilum debet utrumque solvens per errorem, repetit unum, quem malit, si adhuc extet uterque servus; quod si uterque, vel alter perierit, id tantummodo remanebit in soluto, quod superest. *L. 32. ff. de Condit. indebit. l. 39. tit. 14. p. 5.* Si indebitum recipiens fateatur, se rem accepisse, neget tamen esse indebitum, ei, qui solvit, incumbit probare indebitam esse, quia nemo tam resupinus, præsumitur, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat. Si verò à principio neget, pecuniam accepisse, & de acceptione convictus, dicat, eam sibi debitam esse cum jam de mandato convictus sit, ei non creditur, nisi probeat pecuniam solutam esse ei debitam. *c. fin. h. t. l. 25. ff. de Probat. l. 26. tit. 14. p. 5.* Si intendentes repetere indebitum sint pupillus, mulier, miles, & similes, ob suam simplicitatem, & imperitiam in jure, onere probandi liberantur. *L. 25. §. 1. ff. de Probat.* Non datur indebiti repetitio, si solvens sciat se non debere, vel si repetitioni renuntiet, vel si ex causa juris jurandi deliberatè solvat, vel ex causa pietatis in favore causæ piæ. *L. 32. §. 2. ff. de Condit. indebit. l. 25. tit. 14. p. 5.* Vel si litis causa sine dolo transactum est. *L. 65. §. 1. ff. eod. l. 34. tit. 14. p. 5.* Nec repetitur, quando sententia ob quam est solutum in rem judicatam transiit, licet postea novis instrumentis, vel testibus esse indebitum pro-

betur. *L. 35. ff. de Re jud. l. 33. tit. 14. p. 5.* Nisi causa sit publica, ut fisci, vel Civitatis; nam reperitis novis instrumentis, in integrum restituitur. Vel si probeatur, illum in cujus favorem lata est sententia, dolum commississe, vel si ex falsis testibus, vel instrumentis lata est, vel ex juramento ob probationum defectum delato creditori. Qui solvit debitum; à quo per Judicis sententiam erat absolutus, non potest illud repetere, quia licet non posset cogi ad solutionem, tamen cum remansisset naturalis obligatio, impeditur repetitio. *L. 33. tit. 14. p. 5.* Qui indebitum recepit, illud cum fructibus restituere tenetur. *L. 1. C. de Condit. indebit.* Quod si bonam fidem habuit recipiens, non tenetur ad casum fortuitum, si forte res perierit, & si rem vendidit, tantum tenetur reddere pretium, quod pro ipsa recepit, si verò, quando rem recepit, vel postea malam fidem habuit, tenetur ad veram æstimationem rei perditæ, aut venditæ. *L. 26. §. 2. ff. de Condit. indebit. l. 37. tit. 14. p. 5.* Qui indebitum recepit, tenetur restituere fructus, etiam si consumpti sint, dummodò factus sit locupletior. *Greg. Lop. in l. 37. tit. 14. p. 5. V. Con los frutos.*

217 Quando debitor non habet sufficientia bona, ut omnibus creditoribus satisfaciatur, fit *creditorum concursus*, & profectò ad sex classes omnes creditores possunt reduci. 1. Ergo omnibus aliis præferatur ille, qui habet dominium in re existente apud debitorem. Si res habita per furtum, debet Domino ipsa in specie restitui, sic qui rem deposuit, commodavit, vel locavit, habet prælationem ob dominium quod habet, in re deposita, commodata, vel locata. Sicque tunc non potest dari concursus, siquidem ceteri creditores nullum jus habent ad illam rem, quæ nullo modo ad debitorem pertinet, contra quem creditores actionem habent, non verò contra Dominos rerum, quæ apud debitorem inveniuntur, quia, dominium est fortius jus omnibus actionibus, & privilegijs; *arg. L. 24. §. 2. ff. de Reb. auctor. Jud. l. 11. tit. 14. p. 5.* Et tunc communiter dicitur, res ubique sit, pro suo Domino clamet. Hac etiam ratione, qui rem alii vendidit, ita, ut nollet dominium in emptorem transferre, donec pretium sibi esset solutum, in ipsa re vendita habet prælationem habet. *§. 41. Inst. de Rec. div. l. 46. tit. 28. p. 3.* Quod si res Titij: v. g. quæ erat apud debitorem in deposito, vel commodato, vel per furtum, ab ipso debitore vendatur, habet Titius prælatio-

nem in pretio ex sua re procedente. *Hevia in Cur. Philipp. in 2. p. lib. 2. cap. 12. n. 51. arg. l. 7. tit. 10. p. 3.* Quod si res absolutè sit consumpta, non aliam prælationem habebit Dominus, quam ceteri simplices creditores. 2. Veniunt privilegiati, etiam si hypothecam non habeant, tales sunt illi quibus aliquid debetur ratione impensarum, quæ sunt factæ in funere debitoris. *L. 45. ff. de Religiosis, & sumptib.* Vel in ipsius curatione in illo ultimo morbo; & sic prælationem habent Medici, & pharmacopola. Etiam debent solvi, ante alia, salarii debita famulis, & officialibus, & impensæ factæ in conficiendo inventario, & aperiendo testamento. *L. 30. tit. 13. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Ubi non excipit casum dotis, neque alium; & certè impensæ funeris, necessaria satis videtur, ut præferatur cuicumque credito, etiam sub expressa hypotheca. *Hev. in 2. p. Cur. Phil. lib. 2. cap. 12. n. 24. 3.* Qui habent hypothecam specialem privilegiatam, & speciali juris prerogativa sunt muniti, tales sunt. 1. Uxor, & ejus descendentes, non verò hæredes extranei, ratione dotis: non solum, quando hæc in re existit: nam tunc mulier censetur dominium conservare, sed etiam, quando dos jam non existit: tunc enim uxor in bonis mariti præferitur creditoribus, etiam tacitam hypothecam habentibus. *L. fin. §. 1. C. Qui potior, l. 33. tit. 13. p. 5.* Ubi idem est de fisco, & notat ibid. *Greg. Lop. Hevia p. 2. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. ex n. 29.* Si verò ante dotem præcessit hypotheca expressa specialis, vel generalis, hæc doti præferatur, ut deducitur ex *L. fin. §. 1. C. Qui potior, l. 33. tit. 13. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Si verò duæ dotes concurrant duarum uxorum, tunc prima præferatur, quia ejusdem nature sunt hæc debita. Si tamen in bonis mariti reperiantur bona secundæ dotis, tunc secunda præferatur, si maritus, cui dos promittitur pro ejus restitutione obliget sua bona, & postea ipsa bona, antequam ei dos tradatur, alii obliget, recepta dotis quantitate, dos præferatur priori hypothecæ. *L. 33. tit. 13. p. 5. 3.* Illi, qui mutuum dederunt, vel crediderunt ad domum, vel navem faciendam, vel reficiendam, dummodò pecunia in effectu ad talem rem deservisset: & quidem saltem de jure Hispano non requiritur, quod dantes hanc pecuniam constituent pignus, vel hypothecam, nam ipso jure constituitur in ipsa re facta, vel refecta. *L. 26. tit. 13. p. 5.* Imò & si talis domus, vel navis reficienda, si alii antecedenter oppignorata expressè, tamen

præferitur secundus creditor; qui pecuniam dedit ad ejus reparationem, vel ad navem instruendam rebus necessariis, vel ad solventium victoribus, & officialibus. *L. 6. ff. Qui potiores, l. 28. tit. 13. p. 5.* Similiter, qui pecuniam dedit ad solutionem asportationis mercium, vel conductionis domus, ubi erant reponenda, præferitur primo creditori, cui tales merces erant expressè obligatæ. *L. 6. ff. Qui potiores, l. 29. tit. 13. p. 5. Hev. in 2. p. Cur. Phil. l. 2. c. 12. n. 25.* Ubi addit, quod hæc hypotheca præferitur etiam doti, & fisco, quando est anterior, secus aliter, ac proinde inter causam dotis, fisci, & refectionis attenditur temporis prioritas. Si verò concurrant causa factionis, & refectionis ejusdem navis, vel domus refectionis, cui potius debet tribui rei conservatio præferitur factioni. *Hev. p. 2. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 26.* 3. Fiscus, seu Camera, aut Aerarium publicum Principis, vel Reipublicæ in ordine ad tributa, & alias publicas præstationes. *L. 1. C. Si propter public. pensitat. l. 33. tit. 13. p. 5.* Ubi notat *Greg. Lop.* Quod fiscus, & dos æquiparantur in hypotheca, fiscus (& idem debet dici de dote) creditori habenti anteriorem hypothecam generalem in bonis debitoris præferitur in bonis acquisitis à debitore post obligationem contractam fisco. *L. 28. ff. de Jur. fise. & ibid. Gothofr. Hev. in bonis antecedenter acquisitis præferitur fisco creditor anterior. Hevia p. 2. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 30.* Idem privilegium fisci, & dotis, à paritate rationis, extenditur ad Ecclesiam, & causam piam, ac proinde Ecclesia habet prælationem pro decimis in rebus, ex quibus debentur. *Hevia 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 15. & 29.* Si tamen dos, & fiscus concurrant, prioritas attenditur: quod si eodem die facta sit utriusque obligatio, & non apparet, quænam sit prior, præferitur causa dotis. *L. 85. ff. de Reg. jur. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 81.* Fiscus etiam habet prælationem in causa pertinente ad Primpilium, id est Præfectum annonæ Militaris. *L. 3. C. de Primpil. Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 28.* Etiam habet prælationem pro gabella, quæ dicitur: *Alcavala*, in re, quæ venditur, & in his Provinciis Indiarum habet prælationem in tertia parte pretii officiorum publicorum, quæ venduntur, vel renuntiantur. *Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 15.*

218 In quarto loco veniunt hypothecarii simplices, in his præcipue habet locum regula, quod qui prior est tempore potior est jure. *L. 2. ff. Qui potiores.* Hæc

anterioritas hypothecarum non solum ex die, sed etiam ex hora ejusdem diei computatur, imò ex ordine scripturæ: nam quæ prius invenitur in Protocollo, vel prius nominatur in instrumento, illa prælationem habet. *Hevia 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 40.* Quod si non constet quænam hypotheca sit prius, prorata debiti fiet solutio. *L. 16. §. 8. ff. de Pign.* Si hypotheca pro debito conditionali constituitur, præferitur posteriori hypothecæ postea purè constitutæ, pendente conditione, si postea conditio existat: nam cum retrotrahatur conditio ad tempus, quo debitum fuit contractum, est prior tempore, quam purè constituta. Etiam hypotheca constituta super debito ex certo die ante adventum diei præferitur debito contracto absolute. *arg. L. 14. ff. de Pign. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 44.* Hæc regula locum habet etiam si concurrat hypotheca conventionalis, vel legalis, vel Prætoria, vel expressa, vel tacita, vel generalis, vel specialis, etiam si in anteriori, non intervenisset traditio, vel possessio bonorum in hypothecam datorum, & in secunda intervenisset hæc possessio, semper præferitur prior. Et etiam si prior hypotheca, vel debitum constet ex instrumento privato, & secunda hypotheca ex instrumento publico, si instrumentum privatum fuit recognitum, priusquam instrumentum publicum conficeretur. *L. 6. C. Qui potiores, & ibid. Gothofr. l. 27. tit. 13. p. 5. & ibid. Gl. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 39.* Hypothecarii hanc anterioritatem habentes, non solum eam habent respectu debiti principalis, sed etiam respectu accessionum, usurarum, & interesse, etiam si hæc omnia accedant post secundam hypothecam. *L. 13. l. 18. ff. Qui potior. Hev. 2. p. Curia Philipp. l. 2. cap. 12. n. 48.* Quia accessorium naturam sequitur principalis. *c. 42. de Reg. jur. in 6. §.* Locum sibi vendicant creditores Chirographarii privilegiati ratione debiti, vel causæ. Tales sunt, qui rem apud alium deposuerunt, commodarunt, vel locarunt, si res jam non extet. *L. 12. tit. 14. p. 5. & ibid. Greg. Lop. gloss. fin. 2.* qui pecuniam mutarunt ad faciendam navem, vel reficiendam. 3. Respublica, Civitates, Ecclesiæ, Monasteria, causæ piæ, & Pupilli. Denique in concursu veniunt creditores chirographarii simplices. Et inter hoc, si quid de bonis debitoris, postquam sit prioribus satisfactum, restet, si omnes eodem tempore apud Judicem petant debitum, dividitur inter hos creditores secundum proportionem Geo-

Geometricam, ita ut inter ipsos, non attendatur prioritas, nec posterioritas, sed prorata rei debita (& non creditorum) pecunia restans dividatur. *L. 6. C. de Bonis auctor. Jud. possid. ibi: Prorata debiti quantitate omnibus creditoribus consulti potest. L. 11. tit. 14. p. 5.* Quod si sententia pro aliquo est prius lata, vel ipse prius debitum petiit, ei prius solvendum est, licet in tempore sit posterior. *L. 11. tit. 14. p. 5.* Idem est de debito ratione maleficii, vel damni dati in re aliena; nam prius solvendum est ei, qui prius egit, & sententiam obtinuit. *L. 13. tit. 14. p. 5.* Similiter præferitur ille, qui prius debitum à creditore obtinuit, licet sit posterior in tempore. *L. 6. ff. de Re judicat. l. 9. tit. 15. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Etiam creditor, qui capit bona debitoris fugientis habet prælationem respectu debitorum ejusdem naturæ, secus respectu privilegiatorum. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. fin.* Nec attenditur, an debitum hoc personale constet ex instrumento publico, vel privato, vel ex testium depositione, vel confessione debitoris. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. lib. 2. cap. 12. n. 58.* Donationes Regiæ juxta earum anterioritatem solvuntur: præferuntur tamen, quæ sunt factæ causis piis, vel in remunerationem aliquis servitii. *L. 12. tit. 24. lib. 2. R. C.* Etiam si posteriores sint. Similiter præferuntur debita procedentia ex contractu oneroso debitis ex contractu gratuito procedentibus, etiam hypotheca munitis: etiam debita defuncti præferuntur quibuscumque legatis, & inter legata præferuntur facta causis piis. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 61.* Quod si Fiscus concurrat pro pœna pecuniaria delicti, cum alio privato damnificato à delinquente, vel alio creditore, hi præferuntur Fisco, ut possint repetere debita contracta ante delictum: in debitis tamen post delictum contractis præferitur Fisco. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 65.* In nostra Hispania instrumenta privata scripta in charta sigillata præferuntur cæteris instrumentis privatis, & locum obtinent post instrumenta publica. *L. fin. tit. 25. lib. 4. R. C.*

TIT. XXIV.

De Donationibus.

219 **D**onatio, sic dicta, quasi doni datio. *L. 35. §. 1. ff. de Mort. caus. donat. Et liberalis, nullo Tom. I.*

jure cogente, propriorum bonorum aucteri facta concessio, ex L. 1. l. 29. ff. h. t. l. 1. tit. 4. p. 5. ibi: Donacion es bien fecho, que nace de nobleza, è bondad de corazon, quando es fecho sin ninguna premia. Differt à stipulatione; nam hæc formam solemnem verborum requirit, sine qua bene potest stare donatio. Differt à promissione, quia hæc est datio fidei libera dans solum jus ad rem; donatio verò traditione perfecta dominum transfert. A pollicitatione differt, qui hæc est nuda promissio, absque acceptatione promissarii. *L. 3. ff. de Pollicit. donatio tamen acceptationem requirit.* Donatio antequam acceptetur nullam, nequidem naturalem obligationem producit. *L. 10. ff. h. t. quod juxta Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. & alios, etiam de Jure Canonico procedit; & hinc mortuo donatario ante acceptationem nihil transfert ad heredem, imò donationem etiam juratam potest donator liberè revocare, quin fidem violet, nec jus donatarii lædat, quippe nullum jus donatarius adquisivit, nec donator ullam obligationem contraxit, & exceptio superveniens revocationi nihil prodest; arg. L. 12. §. 16. ff. Mandat.* Et etiam donatio facta causæ piæ requirit administratoris acceptationem saltem, ut obligationem justitiæ patriat; *arg. L. 10. ff. h. t.* Si tamen Deo principaliter fiat, ut regulariter accidit, & præsumitur in dubio, habet rationem voti, quod statim acceptatur à Deo, ac proinde ex Religione obligat. De jure tamen Hispano donatio etiam si nondum sit acceptata à donatario obligat donantem. *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. & tenent Covar. Palac. & Molin.* quamvis alii hoc negent cum *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. n. 18. & seq.* Donatio potest fieri purè, & sub conditione, & sub modo, & usque ad certum diem, & tam absenti, quam presentis. Et omnia debent adimpleri juxta donantis voluntatem, & dispositionem. *L. 4. & seq. tit. 4. p. 5.* cum donatio non præsumatur. *L. 15. ff. de Probat. debet donans suum animum donandi, & dominium transferendi declarare, vel per verba, vel per Epistolam. L. 6. l. 13. C. h. t. vel per aliud signum minimè dubium.* Aliquando tamen præsumitur donatio, scilicet, si dans, & recipiens sint consanguinei, vel amici, vel si vendens sciens justum pretium rei, minimo pretio vendat. *Menoch. de Arbitr. cas. 88. n. fin.* Vel si creditor debitori chirographum reddat, nam tunc debitum condonare censetur. *L. 2. §. 1. ff. de Pañ. & si illius debiti plura sint*